



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXVIII. De Cæremonijs seu Sacramentalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

pleret, & finem eidem imponeret. Videri possunt, quæ diximus in Controvers. de essentia Sacramenti. Ad 4. malè supponere Gerhardum in argumento, transfusum Maris rubri, columnam nubis seu commorationem sub ista, eruptionem aquæ de petra, ac potionem &c. item sacrificia quælibet fuisse Sacramenta, & ad remissionem ac justificationem valuisse, quod minimè probat; ad textus enim allegatos sufficit, quod aliquo modo præfiguraverint Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ, Et mirum sanè, Novatorem, qui Sacrificium novi Testamenti incruentum a deo explodit, sacrificia tamen cruenta extollere, immemorem dicti illius Apostoli ad Hæbr. impossibile esse, Sacrificijs & ablutionibus Judæis remitti peccata. Videri potest Tanner Tom. 4. D. 3. Q. 1. dub. 1. ubi aliquos Doctores allegat asserentes, aliqua Sacramenta etiam pro peccato non fuisse Sacramenta.

XII. *Error secundus.* Circumcisio efficax fuit medium gratiæ, ac data, ut justificaret. Ita citati Sectarij. Probat 1. D. Paulus Coloss. 2. v. 12. Circumcisioni & Baptismo idem tribuit, dum eandem gratiam Circumcisionis & Baptismi designat. 2. promissio terrena Circumcisioni addita fuit figura promissionis spiritualis & cælestis dandæ illis, qui non carne sed corde circumciderentur, idque Fideles Vet. Testamenti intellexerunt. Ergo Circumcisio fuit ipsis efficax medium gratiæ & salutis. 3. Homo per contritionem prius justificatur, quam ad Sacramenta accedat, inde tamen Pontificij non admittunt, Sacramenta non justificare. Ergo nullum est hoc eorum argumentum: Abraham justificatus est in præputio. Ergo non per circumcisionem 4. Aliqui Catholici Bonaventura, Alenfis, Scotus, Durandus, Gabriel &c. Circumcisioni tribuunt vim conferendi gratiam ex opere operato, quos idcirco Bellarminus Lib. 2. de Sacram. in com. c. 17. Lutheranae sententiæ suffragari fatetur.

XIII. Hunc errorem tam efficaciter, quam breviter profligat D. Paulus 1. Cor. 7. v. 19. ajens: Circumcisio nihil est. Eundem omnes etiam Catholici ex dictis priore parte hujus Controversiæ rejciunt. *Constat*, inquit Catechismus Romanus ad Parochos cap. de Sacramentis, *Excellentiorem & præstantiorem vim Sacramentis Novæ Legis inesse, quam olim Veteris Legis Sacramenta habuerunt, quæ cum infirma & nâque essent Elementa, inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non anime. Quare ut signa tantum earum rerum, quæ mysterijs nostris efficiendæ essent, instituta sunt.*

XIV. Respon. ad 1. probationem. Negando assumptum. Nam etsi Apostolus verbis illis: circumcisi estis circumcissione non manu factâ &c. Baptismum vocet Circumcisionem, eò quod hæc fuerit illius figura; hinc tamen non inferitur, eundem utriusque fuisse effectum. At absque ulla ratione, inquit Amesius fol. 42. asseritur, circumcisionem fuisse figuram Baptismi; Sacramentum non est signum visibilis Sacramenti. Melius regerimus, absque ulla ratione negari istud. Nunquid Agnus Paschalis fuit figura non tantum Christi in Cruce fixi, sed etiam Eucharistiæ? ita & circumcisio Baptismi. Effectus autem in adultis est prorsus diversus in Baptismo, ac circumcissione; ille enim utpote circumcisio spiritualis expoliat à toto corpore obnoxio peccatis & reddit hominem verè Spiritualem: ista verò Judaica minimè, sed particulam tantum circumcidebat, Ad 2. negan-

do consequentiam, cum vix umbra connexionis appareat; quomodo enim ex figura promissionis spiritualis & cælestis inferitur infallibiliter conjunctum medium efficax gratiæ & salutis? Cæterum per vetus Testamentum malè à Gerharo intelligitur pactum illud Legale, in quo Deus legem observantibus promissit vitam æternam. Nam S. Augustinus in sexcentis prope locis docet, Sanctos omnes, qui ante Christum vixerant, non nisi quoad Sacramenta ad vetus Testamentum spectasse, nullòque modo fuisse sub lege, sed absolute ad novum Testamentum & legem gratiæ pertinuisse; quia scilicet Sanctitatem & justitiam suam non habuerunt ex operibus legis, sed ex eo, quod in Christum futurum crederent. Videatur Bellarminus cap. 14.

XV. Ad 3. Bellarminum Lib. 2. cit. c. 13. concedere Pontificiorum doctrinam de contritione; & nihilominus valide argueri ad hominem; quia Adversarij nō admittunt secundam justificationem. Cum ergo Abraham fuerit justificatus in præputio, utique sequitur apud sectarios, eundem postea per circumcisionem non accepisse secundam justificationem, quam non agnoscunt Ad 4. Theologos illos voluisse circumcisioni tribuere vim justificandi ex opere operato; quia non est propriè Sacramentum Mosaicum, sed legis Naturæ Ioannis 7. v. 22. *Moyse dedit vobis circumcisionem; non quia ex Moyse est, sed quia ex Patribus.* Sed erraverunt; suo tamen errore patrocinati non fuerunt Hæreticis, unum ex antiquis Sacramentis extollendo ad nostratiam; quæ Sectarij deprimunt paria faciendo his nostris omnia sacramenta vetera. Quod autè Bellarminus opinioni Lutheranae consentiat, asserendo Scholasticos quosdam tribuere antiquis Sacramentis vim justificandi ex opere operato, est prorsus risu, non refutatione dignum. De reliquo quomodo Circumcisio infirmum & egenum elementum dicatur, etiamsi parvulus fuerit remedium contra peccatum originale, diximus in parte priore &c. Atque in hunc modum duo, quæ repugnare sibi videntur, pulchrè reconciliantur; scilicet circumcisionem ex se nullatenus fuisse utilem ad justificationem: nihilominus eandem extitisse in parvulis remedium peccati originalis, quod DEUS infundendo gratiam sustulit ad illius positionem, tanquam meram conditionem; quantumvis illam actus supernaturalis fuerit comitatus in Ministro Fidem in Christum per talem cæremoniam protestante; & circumcisio ut divinæ voluntatis impletio DEO placuerit.

CONTROVERS. LXVII.

DE CÆREMONIIS SEU SACRAMENTALIBUS.

Cæremonia, generatim loquendo, est Actus Religionis, quo DEUM colimus, in qua latitudine eam hic non attendimus, sed solum ut ad Sacramenta septem spectat; sunt autem duplices cæremoniae in Sacramentis; quædam intrinsecæ & substantiales, quæ sunt ipsa Sacramenta, de quibus hætenus: quædam extrinsecæ, quæ à Doctoribus definiuntur: circumstantiæ religiosæ ad decentem Sacra-

Sacramentorum administrationem instituit. Atque hæc stabile contra hæreticos in præsentiarum intendimus.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Licet & honestæ sunt caeremoniæ, quibus Ecclesia Romano-Catholica in Sacramentis administrandis utitur. Ita omnes Catholici & definitum habetur in Concilio Tridentino Sess. 7. de Sacramen. in genere can. 13. hisce verbis: *Siquis dixerit, receptos & approbatos Ecclesie Catholice ritus in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libitu omitti, aut per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Probat. 1. ex Scriptura, quæ 1. Corinth. 14. v. 4. præcipit: *Omnia honestè & secundum ordinem fiant.* Ubi Apostolus supponit caeremonias aliquas esse honestas, idcirco observandas. Sunt autem in Ecclesia aliqua honestè & secundum ordinem faciendæ circa conversationem inter se: aliqua circa Sacramentorum administrationem; & quia de illis eodem capite prius multa dixerat, tandem concludens citatis verbis: *Omnia honestè & secundum ordinem fiant,* haud obscure innuit, ista speciatim de Sacramentorum administratione sumenda & intelligenda esse. Probat. 2. ex perpetuo usu Ecclesie & SS. Patrum autoritate, quorum testimonia adducit Jacobus Gregerus lib. de Benedictionibus. Probat. 3. ratione. Tum quia per istas caeremonias coram alijs hominibus protestamur cultum DEI, id quod sine dubio honestissimum est: Item per easdem puritatem internam, fidem, & devotionem conservamus. Hinc Julianus Apostata, ut superstitionem Gentilium in posterum stabiliret, eorum sacra ac Sacrificia ad instituta nostra accommodare studuit, teste Gregorio Nazianzeno Orat. 1. in Julian. Tum quia, cum homo ipse constet corpore & animâ, & utrumque à DEO acceperit, profectò æquissimum est, ut tam corpore quàm animo illum honoret, laudet, & ex omnibus viribus eidem seruiat, ad quod mirè hisce caeremonijs accenduntur; nam, ut ait Thriverus in apophtheg. *Sicuti in gratiam fastidientium comparata sunt condimenta, ita ad provocandos segnes quadam caeremonia.* Tum denique quia DEUS offenditur & ignominia afficitur non solum actibus internis, sed etiam externis. Ergo & utrisque honorandus est. Dicunt Sæctarij cum Amefio fol. 53. sufficere à DEO institutas, nec opus esse inventis ab homine. At verò omnes Catholicorum caeremoniæ indicantur à DEO in genere 1. in testimonio Pauli ex 1. Corinth. 14. adducto: *omnia honestè & ordinatè fiant.* 2. cum jubemur Præpositis obedire. 3. ubi Religio & partes ejus commendantur.

II. Porro aliquas caeremonias Christus vel Apostoli instituerunt, quas ex nulla Scripturâ, sed ex sola traditione habemus. Tales sunt Chrismatibus benedictio, Communio Eucharistiæ à jejunijs faciendâ, Aquæ mistio cum Vino in calice, Signum Crucis &c. Aliquas verò Ecclesia vel universalis, vel particularis ordinavit. Tales sunt,

quod Pascha non instituat cum Judæis, quod Dies Dominicus pro Sabbatho celebretur, quod tempore Paschali Fideles stando orent, & cantetur Alleluja, quod Sacerdos nares & aures baptizanti spuito tangat dicens: Ephata &c. Ad discernendos autem ritus & caeremonias legitimâ à Spurijs D. Augustinus Epist. 119. hanc assignat regulam: *Ut qui ritus non sunt contra fidem aut bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitamque meliorem, ubicunque institui videntur, vel institutos cognoscimus, laudando & imitando sectemur &c.*

III. **D**octrina secunda. In Ecclesia est potestas instituendi Sacramentalia seu caeremonias sacras & obligandi Fideles ad has in Sacramentorum administratione observandas. Ita omnes Catholici. Probat. 1. Pars. Tum ex Concilio Trident. Sess. 21. cap. 2. & ex verbis D. Pauli 1. Cor. 4. v. 1. ibid. adductis: *sic nos existimè homo, ut Ministròs Christi & Dispensatores Mysteriorum DEI;* ubi haud obscure innuitur, hanc potestatem perpetuam in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ ea statueret, vel mutaret, quæ Sufficientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum temporum & locorum varietate magis expedire judicaret. Tum quia Summus Pontifex habet potestatem gubernandi Ecclesiam convenienti modo. Ego negari non potest, quin etiam habeat potestatem instituendi caeremonias, quæ ad digniorem & pro loco & tempore convenientiorem Sacramentorum administrationem non parum conducunt. Tum quia caeremoniæ istæ sunt res pertinentes ad cultum DEI, & honestæ. Cur ergo Magistratus Ecclesiasticus præscribere eas nequeat? Cæterum multò probabilius est, de facto omnes has caeremonias partim ab Apostolis, partim à Pontificibus & particularibus Episcopis institutas esse, ut nominatim docet Becanus in Theolog. sua c. 7. de Sacramen. in genere, q. 3. Quæ autem communes sunt toti Ecclesie, censentur ab ipso summo Pontifice approbatæ; ac proinde solum iste de plenitudine potestatis mutare illas potest, quamvis id non facturis sit absque urgentissima causa: quæ verò sunt privatè aliquarum Ecclesiarum, nisi confirmatæ sint à summo Pontifice, possunt ab Episcopis illarum Ecclesiarum mutari; habent enim hi parem cum Institutibus auctoritatem. 2. Pars ostenditur tum ex prædicto Concilio Tridentino Sess. 7. can. 13. de Sacram. in genere supra citato §. 1. Tum quia Ecclesia habet potestatem condendi leges obligantes sub peccato, ut colligitur ex illis verbis Matthæi 18. v. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Tum quia Fideles juxta Apostolum Rom. 13. v. 1. præceptis alioquin bonis Infidelium etiam Principum (quales tunc temporis erant) non solum propter externum timorem, sed etiam propter conscientiam ex DEI ordinatione obedire debent. Ergo multò magis mandatis Principum Fidelium & maxime Ecclesiasticorum in re ad DEI cultum & convenientiorem Sacramentorum administrationem spectante, qualis sunt caeremoniæ sacre; cum D. Paulus dicat loc. cit. non esse potestatem, nisi à DEO, quâsi diceret, omnis potestas est à DEO, & ex DEI ordinatione.

IV. **D**octrina tertia. Caeremoniarum effectus sunt varij. Ita Catholici omnes. 1. Gratia habitualis. 2. Gratia actualis. 3. Remissio peccati mortalis vel venialis. 4. Remissio pœnæ temporalis.

5. Expulsio demonum, vel cohibitio, ne ledant.
6. Sanitas corporis, de quibus alibi pluribus agitur. Nunc solum breviter dicimus, caeremonias has sacramentales posse causare gratiae augmentum ex opere operantis ratione actus virtuosus, quo exerceri solent: ex opere autem operato non posse causare gratiam habitalem & auxilia gratiae; nam largitio gratiae tam habitualis, quam auxiliantis ex se est propria solius DEI, de quo non constat, quod huiusmodi privilegium caeremonijs concesserit, quae neque vim habent ad remittendum ullum peccatum immediate, quia haec remissio itidem propria est DEI, & non scimus, concessum esse Ecclesiae, ut ipsa possit extra Sacramenta remittere peccata; interim possunt per modum impetrationis (si includant aliquas orationes) obtinere a DEO auxilia, quibus homo excitetur ad aliquem actum bonum, quo Venialium remissionem consequantur. Denique praedictae caeremoniae sacramentales habent quidem vim expellendi & coercendi daemones, eam tamen non infallibilem nec naturalem, ut bene observavit D. Augustinus Lib. 83. Quaestionum q. 79. reddens rationem, cur DEUS aliquando non exaudiat.

Catholico Papatu Tom. 2. fol. 872. & seq. Sufficiat hic solus Chrysostomus in 1. ad Timoth. hom. 12. super citata D. Pauli verba sic scribens: *Non quia in mundum est, ideo Sanctificatur, absit: verum hoc in loco illos alloquitur, qui communia quaedam ex ipsis esse arbitrantur. Duo igitur capita ponit, unum quidem, quod creatura nulla communis est: secundo, quod etsi communis sit, medicamentum in promptu est. Signum illi Crucis imprimere, gratias age, DEO gloriam refer, & proinus immundicia omnis abscesit.* Addimus S. Augustinum Tract. 118. in Joan. universim de Benedictionibus, rebus benedictis & caeremonijs Sacramentorum sic scribentem: *Quid est, quod omnes noverunt signum Christi, nisi Crux Christi? quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aqua, qua regenerantur, sive oleo, quo chrysmate unguuntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Videri etiam potest Bernardin. Verweis in Speculo Ecclesiae Christi, ubi pro caeremonijs Sacramentorum a fol. 580. plures Graecos & Latinos Patres affert. Et quis nisi rationis expertus plus fidei Amesio & huiusmodi rabulis, quam Augustino Chrysostomo & tot alijs Ecclesiae Patribus adhibendum iudicet: & sacramentales caeremonias Ecclesiae frivolas superstitiones censendas putet?



PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM

CORUM

V. Error primus. Sacramentalia Ecclesiae, hoc est, Caeremoniae, Benedictiones &c. sunt frivola superstitiones. Ita ex communi sensu aliorum haereticorum Amesius Tom. 3. a fol. 50. ubi non oppugnat solum caeremonias Sacramentorum, sed quasvis alias v. g. Aquam lustralem, Agnos DEI, palmas, Cineres benedictos &c. Movetur 1. Lex illa semel Ecclesiae dicta manet aeterna: quod praecipio tibi, hoc observabis, ut facias, nec addes quidquam, nec detrahas. Deut. 12. v. 32. 2. Isaiae 29. v. 13. & Matth. 15. v. 8. DEUS conqueritur de Judaeis, quod eum timerint seu coluerint mandato hominum & doctrinis. 3. SS. Patres ac nominatim D. Augustinus epist. 119. conqueritur, quod multitudine caeremoniarum ita aliqui Ecclesiam (etiam suo tempore enervaverint, ut tolerabilior sit conditio Iudaeorum. 4. Romanenses in suis caeremonijs partim imitantur Gentes, partim Iudaeos; certe caeremoniae illae tollunt discrimen, quod DEUS voluit esse inter Iudaeos & Christianos. 5. Christus plene nos instruxit de vero DEI cultu. 6. Apostolus Galat. 5. v. 1. & saepe alias praedicat libertatem, nec vult, ut laqueus conscientijs Christianorum iniiciatur.

VI. Error iste facile rejicitur ex ijs, quae priore parte attulimus, & contra Amesium non solum caeremonias in Sacramentorum administratione sed omnes omnino Benedictiones & res benedictas detestantem est ipsemet Apostolus 1. Tim. 4. v. 4. scribens: *omnis creatura DEI bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum DEI & orationem.* Atqui benedictio Ecclesiae nihil est aliud, quam oratio, cui DEUS audentiam promissit Joan. 14. v. 13. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Accedit antiquus usus Ecclesiae, & Patrum Auctoritas, quos fuisse adducit Jacobus Keller in

VII. Respon. ad 7. in oppositum. Lige illa Deut. 12. non prohiberi quamlibet additionem sive librorum sacrorum, sive praecceptorum Moralium, Judicialium ad Caeremonialium. Nam post Deuteronomion additi tot libri sacri, & plura in his praeccepta Moralia: Judicialia legem David 1. Reg. c. 30. v. 25. addidit: Caeremonialem additam legimus Esth. 9. Judith. ult. Machab. 1. c. 8. Prohibetur igitur additio heterogenea & corrumpens, ut alibi jam diximus. Ad 2. DEUM conqueri contra mandata hominum apud Marth. & Isaiam merito; si ista hominum mandata pugnent cum divinis, si inducant cultum inutilem, si plures fiant, quam mandata divina. Nihil autem horum locum habet in praecceptis Ecclesiae de caeremonijs & benedictionibus. Ad 3. Patres intelligendos esse de quibusdam caeremonijs localibus, quae neque ab Apostolis proflexerunt, neque ab Ecclesia approbatae fuerunt. Sic etiam nominatim D. Augustinus aperte loquitur de caeremonijs privatis, quae neque SS. Scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Concilijs Episcoporum statutae inveniuntur, neque consuetudine universae Ecclesiae roboratae sunt; sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur. Tales & nos cum S. Augustino refecandas affirmamus. Ad 4. Gentiles ex instinctu demonis in multis aemulatos fuisse Iudaeos, & istos habuisse nonnulla similia nostris Sacramentalibus: at intentionem & finem inducere differentiam inter nos Catholicos, & alios sive Iudaeos sive Gentiles quoad ritus & caeremonias externas. Cultus etiam Judaicus quae talis, hoc est, veteris Testamenti fuit principaliter externus & corporalis: noster autem Christianus est principaliter internus, & Spiritualis a Spiritu Fidei & Charitatis procedens, qui est ipsa gratia Novi Testamenti, & ex Veteri haberi non potest; siquidem lex vetus, quae talis, est servorum typus, & umbra Nova Filiorum. Ad 5. id verum esse de instructione Generali, non autem de Particulari; non enim convenit rectae gubernationi, omnia minutatim a supremo Principe praescribi, uti agnoscit ipse Calvinus lib. 4. Inst. c. 10. §. 30. ubi

ubi probat geniculationem esse bonam, imò divinam, assertetque illud ipsum testimonium Apost. I. I. Cor. 14. *omnia honeste & secundum ordinem fiant*, quod nos supra adduximus; sicuti autem ex hoc geniculatione, ita homines aliæ nostræ cæremoniæ bonæ utiles ac divinæ dici possunt. Ad 6. libertatem Christianam, quam frequenter prædicat S. Paulus, non in eo consistere, quod Homines sint liberi ab obedientia Principum Sæcularium, & Prælatorum Ecclesiæ, sed à gravi servitute legis Mosaicæ & Cæremoniarum illius; quomodo enim ipse alioquin Rom. 13. Scripsit, *obediendum sublimioribus potestatibus, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Minimè autem iniicitur laqueus conscientijs Christianorum, si ex justa causa vel aliquid præcipiatur, vel ad convenientiorem DEI cultum ordinetur, modò illius libertas ab ipso DEO non sit permessa, ut de virginitate solum consilium extrat; alioquin omne imperium non tantum Ecclesiasticum, sed etiam civile tolleretur.

VIII. *Error secundus*. Sacramentalia vel nullam omnino habent vim, vel etiam ex opere operato. Ita idem Amelius cum cæteris Sectarijs. Movetur. Tum quia sic Sacramentalia præstarent Sacramentis Veteris Testamenti. Tum quia si aliqua Sacramentalia vim habent spiritualem, cur non omnia? Tum quia aqua ex se non habet vim remittendi peccata. Si ergo ex benedictione sit in sanctificationem, cur non ex opere operato? eertè communiter sibi persuadent homines, aquam lustralem remittere peccata ex opere operato. Tum quia multa alia eandem habent vim ad motus pios concitandos, ac nominatim sacrificium Missæ & aliæ functiones Ecclesiæ in patria lingua habituræ essent, quam tamen Papistæ non adhibent, sed latinam, quæ à plerisque non intelligitur.

IX. Errorem hunc rejiciunt aperta Christi verba Mar. ult. v. 18. *In Nomine meo demonia eijciunt*. Si enim solum Nomen JESU prolatum vim contra diabolum habet. Cur Sacramentalia, resquæ aliæ in eodem Nomine benedictæ virtutem spirituales contra diabolicas machinationes habere nequeant? Facit ad propositum, quod narrat Palladius in Hist. Lausiac. c. 19. & 20. de muliere quadam per præstrigias in forma equæ apparente: *quæ, inquit, cum adducta fuisset ad S. Marcarium, & iste aquam benedixisset, & in nudum ejus caput infudisset, super ejus caput est precatus, statimque effecit, ut omnibus videntibus videretur femina*. Utinam Sectarij nostri sapius aquâ se lustrali aspergerent, vim utique ejus spirituales contra demonis illusiones magno suo bono experturi essent.

X. Respon. ad 1. in oppositum, nihil in hoc apparere absurdi; habent tamen Sacramenta, ut diximus, etiam vetera rationem pignoris Christi ac gratiæ per istum dandæ, quam rationem non habent Sacramentalia, adeoque quoad hoc Sacramentis veteribus inferiora. Ad 2. Sacramentalia quædam habere hanc vim spirituales: quædam verò non habere eandem; quia sic DEO & Ecclesiæ visum. Ad 3. nullam esse rationem, quæ convincat, in Ecclesia esse potestatem instituendi signa quædam externa, quæ ex vi institutionis seu ex opere operato habeant virtutem delendi peccata venialia. Quare in benedictione solum petitur, ut aqua sit in Sanctifi-

cationem, atque ex communi Theologorum benedictio Papæ; Episcopi, aut sacerdotis adjunctam habet quandam duntaxat indulgentiam, non autem remissionem ullius culpæ; Cæterum in re Theologica non tam attendendum est ad communem existimationem vulgi, quam ad consensum peritorum Theologorum, qui ita, ut diximus, sentiunt. Ad 4. discrimen esse, quod illa excitent motus quosdam naturales: at Sacramentalia ex meritis & orationibus Ecclesiæ possunt nobis impetrare auxilia supernaturalia ad actus pios ejusdem ordinis eliciendos. Lingua latinâ utitur Ecclesia in suis Missis & Functionibus, quia Deus nullam determinatè præcepit; & Latina omnibus retro sæculis utique non absque gravi causa usurpata fuit.

CONTROVERS. LXVIII.

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

Baptismi nomen generatim pro omni medio primæ justificationis acquirendæ sumitur, quo Anima à peccato originali abluitur. Cujusmodi media in Nova Lege tria sunt, 1. & ordinarium est Sacramentum Baptismi, 2. Martyrium. 3. Contritio; unde tergemina illa divisio in Baptismum Fluminis, Flaminis, & Sanguinis apud Patres emana vit. Nos in præsentis tantum de Baptismo Fluminis agimus.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima*. Baptismus est Sacramentum Regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ. Ita Catechismus Pij V. Part. 2. c. 2. quam definitionem valde laudant Recentiores Theologi tanquam partes physicas & metaphysicas continentem; atque ex varijs Sac. Scripturæ locis desumptam; ut ostendit Tanner Quæst. 1. n. 9. de Baptis. Alij communiter eum S. Thoma 3. Part. q. 66. art. 1. Baptismum per partes physicas sic definiunt: Est ablutio corporis exterior sub præscripta verborum formula. Ubi tamen ablutio non sumitur latè per quilibet, sed strictè pro ea, quæ sub certa verborum formula facta rationem Sacramenti habet. Metaphysicè breviter defini potest Baptismus: Sacramentum Regenerationis, Ubi prius vocabulum genus est: posterius differentia. Nam proprium est Baptismo, hominem DEO gignere per primam animæ vitam seu gratiam obedientiam, cum sætera Sacramenta maximè Penitentia vivificando potius suscitent; dicitur autem Baptismus Regeneratio, quia primam illam vitam naturalem supponit.

II. *Doctrina secunda*. Baptismus est institutus à Christo. Ita omnes Catholici. Quando autem institutio hæc contigerit, prorsus incertum est. Probabilius videtur, quod docent Coninck Tom. de Sacram. Q. 66. n. 14. Disaltillo D. 1. de Bapt. n. 16. Arria;